



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

§. 197. Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur. v. 36.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

Apostolos & Euangelistas pro ipsis est. cum igitur Marcion, & Manes & Arius, & Nestorius & Wiclef, & Huls, & sequaces eorum sint contra Apostolorum aliquem vel Euangelistam, eos Ecclesia non recipit. recipiunt Doctores, qui contra Apostolos & Euangelistas non sunt, etsi aliquid dicant, quid Apostoli vel Euangelistæ non scripserunt quia idem multa verbo tenus docuerunt quæ discipuli eorum scripserunt. Hæc est viarugia, in qua cæcus non errat.

**D**omine Iesu gratias ago tibi, quod me in hac doctrina & praxi ecclesie tuæ à iuuentute mea erudiri & edncari dedisti. Conserua obsecro in me beneficium tuum, & illud etiam ad alios potenti tua dextra extende & propaga.

§. 197. *Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur. v. 36.*

Iterum Iudæos conuenit S. Ioannes, postquam gentes erudijt de passione testimonio oculatorum, dicens omnia in Christo impleta fuisse quæ de vero Messia à prophetis prænuntiata ipsis Iudæis fuerant, & scriptis tradita erant, cum enim Iudæi in scriptura triumpharent, eodem ex principio Apostoli & ipse Dominus eos assidue ad credendum compellebant: non quasi alia non esset via probandi veritatem, quam scriptura istica; sed quod ipsi Iudæi sibi posuissent Regulam illam nihil nisi scripturam seu Legem suam scriptam tenere, alias nec oculis suis nec rationi consentire seu fidere. Hinc vt Paulus Athenienses ex suomet principio, quod sibi posuerant de Ignoto Deo, prudenter conuenit, ita Apostoli & Dominus Iudæos, ex suo proprio principio fatigabant, donec concederent in fidem, ve eandem persequi inceptarent. Hinc patet quam facie Hæretici nostri, temporis in Iudæorum principium se immerferint: in quo tamen ipso reuincuntur, dum Catholici ex ipsa scriptura quam iactant Catholicismum pulchre ostendunt, hæresin ipsorum damnatam esse remonstrent, quod cum fieri perspicue vident, ad nouas explicationes contra ipsa lexica recurrunt, ne vincantur. Non itaque sensus est S. Ioanni quod ideo facta sint illa in Christo, quæ audimus, solummodo vt scripturæ satisfieret.

**Q**uis igitur crederet sanguinarios milites omnis eruditionis expertes, scripturarum in scios omnia perulanti insolentia molientes, à Christi crucifragio abstinuisse, vt scriptura impleretur. Quomodo enim hoc agerent, vt scriptura impleretur, cum non solum hoc in scripturis nunquam legissent, sed ne scripturas ynquam scirent esse. Ita etiam cum supra

audis

audis milites cum vestium Christi partes fecissent de tunica tamen incon-  
 futili dixisse, *Non scindamus eam sed sortiamur de illa cuius sit.* Quis credat  
 milites auaritiæ, ac commodi legibus cuncta metientes, de scripturarum,  
 quas penitus ignorabant, veritate ita fuisse sollicitos, vt inconlubilem tuni-  
 cam conscindendam non duxerint, vt scriptura impleteretur. Delirat, qui  
 talia de militibus vigil somniat, sed vt dixi, Apostoli scripturam roties al-  
 legando, Iudæos biblizantes ex suo principio confundunt, & simul Dei  
 prouidentiam, qui ista futura præviderit, & veracitatem, qui ista prædicta  
 tam accurrate impleuerit commendant Creator ineffabilis qui de thesau-  
 ris tuæ sapientiam hominum condidisti, & eam in animas hominum di-  
 stribuisti, atque elegantissime vniuersi partes disposuisti, tu i uquam qui  
 verus fons luminis ac sapientiæ diceris atque supereminens, infundere di-  
 gneris super intellectus mei tenebras tuæ radii claritatis, duplices à me  
 remouens tenebras, peccatum scilicet & ignorantiam: Tu qui linguas in-  
 fantium facis esse disertas. Linguam meam erudias atque in labiis meis  
 gratiam tuæ benedictionis infundas, da mihi intelligendi acumen,  
 addiscendi facilitatem, retinendi capacitatem interpretandi subtilitatem  
 eloquendi gratiam *copiosam*: ingressum instruas, progressum dirigas egres-  
 sum compleas, ne in scripturis sacris vt Iudæi, putem me habere vitam æ-  
 ternam sed in Christo Iesu filio tuo, verbo viuo & æterno. Non etiam  
 vt ut scriptura, vt Hæretici, qui de ea sinistra sentiunt, & cum male eam  
 collocauerunt pessime abutuntur explicando vt volunt.

§. 198. *Os non comminuetis ex eo. v. 36.*

Ex hac citatione manifeste patet Ioannem non tantum historiam vo-  
 luisse recensere, sed monere ad quid prodesset hæc historia; nempe ad  
 credendum quod hic Iesus verum pascha fuit per agnum legalem signifi-  
 catus; dum non casu Christi crura in fracta remanserunt, sed magno My-  
 sterio nimirum, facta hæc vt *scriptura impleteretur dicens: os non comminuetis ex eo.* Videns igitur Iudæus tam multa in Christo facta, & legens tam  
 congruentia in scriptura sua oracula, quæ nulli hominum sic, vt in Christo,  
 aptari possunt, quid aliud facere poterit, quam iudicare reuera euidenter  
 credibile est. Istum esse in Lege & prophetis & psalmis prædictum. Vel si  
 hoc iudicare nolit, proprio iudicio euidenter se conuincat esse damna-  
 tum, qui lumen tam clarum noluerit sequi. Nolo hic facere allegoricos  
 vel similes sensus de ossibus significantibus Christi diuinitatem, contra  
 Theopaschitas, nec quod ossa eadem significabant Apostolos Christi, qui

V 2

post